



Universitätsbibliothek Paderborn

**Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et
Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani,
Liberi Baronis De Furstenberg**

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Divae Luciae Virgini et Martyri Syracusanae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

DIVÆ LUCIÆ
VIRGINI ET MARTYRI SYRACUSANÆ

In Dysenterie & Hemorrhoidum acutissimis doloribus.

An. M. DC. LXXVI.

O ! Quid torminibus præsens medicina le-
vandis
Ferre laboranti , Virgo , moraris opem ?
Tu mortalis adhuc ægræ solatia matri
Diceris in tanto , Diva , tulisse malo.
Addita nunc cœlo potes omnia : pelle dolores ,
Qui miseris urunt viscera nostra modis.
Quem non ulla queunt medicamina fistere fluxum
Sanguinis , ah ! votis fistre vocata meis.
Quodque Agathæ potuere preces , sit fas mihi per te
Carmine votivo dicere posse tuas.
Concordes animæ , quas nunc par junxit Olympi
Gloria , par olim Virginitatis amor :
Este mihi faciles & pro me jungite vota :
In manibus vestris vita salusque mea est.
Prosit opemque ferat , si quid tamen illa merentur ,
Muneribus me vos demeruisse meis.
Altera , nunc a me positas sibi conspicit aras :
Altera , si valeam , munera vota feret.
Solvisti meritas dotali munere grates :
Des mihi , ne munus despice , carmen erit.
Carmine fit vivax meritum : neque nesciet ætas
Postera , quod vivam , munus id esse tuum.

H iij